



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IX. De Simonia, quæ committitur circa officia Ecclesiæ temporalia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

causam, Parocho v. g. seni, ad sustentationis auxilium, titulo Eleemosynæ, &c. quamvis de jure antiquo communi sine Simoniz vitio emi & vendi possent, spectando tamen stylum Curiz Romanæ post Bullam Pij V. Simoniacum est, si emanatur aut vendantur illæ, cum ex decreto Pij V. obligationem recitandi officij B. Virginis annexam habeant.

## §. IX.

*De Simonia, quæ committitur circa officia Ecclesiæ temporalia.*

**S**pectato jure naturali Simonia non est talia officia pro pretio temporali sibi comparare, cum nihil in se spirituale hæc officia habeant, nec ordinentur ad spirituales actiones, de jure tamen Ecclesiastico Simonia est, hæc talia pro pretio temporali emere vel vendere, c. *Consu- lere* 28. h. t. Sunt enim conjuncta cum factis, quæ curant, si tamen solis Clericis ea conferri soleant, & nisi per contrariam consuetudinem huic prohibitioni juris Canonici fuerit derogatum, Functiones tamen talium officiorum vendere aut emere, Simoniacum non est, cum nullum habeatur jus Ecclesiasticum, talium functionum emptionem vel venditionem prohibens.

## SECTIO V.

*De pretio Simoniaci, eiusque divisione.*

## §. I.

*An pretium Simoniacum necessario debeat esse temporale quid, non spirituale; Et quando temporale, quid datur, habeat rationem pretij, respectu spiritualis, quæ vicissim datur;*

**P**retium Simoniz spectato jure naturali & divino, necessarium debet esse quid temporale, nec sufficit spirituale, quia malitia Simoniz in hac iniqua rei temporalis cum spirituali compositione & æstimatione consistit; & hæc virtuale permutare pro spirituali non est Simonia juris divini, jure tamen Ecclesiastico prohibita est, sub Simoniz peccato, permutare inter se propria voluntate beneficia Ecclesiastica, sine Superioris auctoritate. Neque Simonia est juris divini, aut naturalis, si res pretio æstimabilis gratis, & liberaliter donatur illi, aut detur, qui spirituale beneficium, aut officium præstitit, ut habetur in c. *Licet* 4. cau. 1. q. 2. si ve detur tale donum temporale post spirituale præstitum, si ve detur aut illud, quia in tali casu non datur temporale, ut pretium rei spiritualis, & ex injustitia debetur; sed et donum liberale, & gratuitum, quamvis in foro externo, quando præcedunt temporalia munera, plerumque permutatur Simonia (licitum tamen non est, sed Simoniacum, obligationem antidoralem gratitudinis in pretium deducere, specialiter promittendo implere illam) nullum modo Simonia est pro spiritualibus ministerijs accipere, aut dare aliquid temporale, pro sustentatione talis